

## Werk

**Titel:** Antibodini Iuridici Prodromus  
**Autor:** Klengel, Christian; Coch, Dietericus  
**Verlag:** Literis Röhnerianis  
**Ort:** Wittebergae  
**Jahr:** 1658  
**Kollektion:** VD17-Mainstream  
**Gattung:** Dissertation;jur.  
**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
**Werk Id:** PPN757418236  
**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN757418236>  
**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=757418236>  
**LOG Id:** LOG\_0004  
**LOG Titel:** Caput Tertium.  
**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.  
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.  
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

transitus earum in patrimonium mariti fieri videtur, ita tamen, ut rei veritas neq; deleta, neq; confusa sit, LXXX. C. de J. D. Porro quod de dote aestimata asserui, haud indistincte exaudiri velim. Distinguendum enim esse arbitror cum Fibigio disp. V. Coll. Legal. qvæst. V. semidec. utrum dos aestimata venditionis, an saltem taxationis causâ fuerit data? Refum qvippe taxationis causâ estimatarum eadem est ratio, qvæ in estimatarum. Et hanc de dominio dotis sententiam ante annos aliquot Praeside Excellentissimo Dn. D. Suevo alacriter propugnavi ad JUS DOTIUM attentus, & propugnabo ulterius justo sugillatum. Deniq; Bodino pacta conventa cum Legibus Dei, & Naturæ pugnantia ferre nolenti, et si jurejurando firmata fuerint, limites constituit Balithas. Cellar. Lib. I. Polit. c. II. th. XXX. ne præcipientia jura cum permittentibus confundantur oscitantur.

### CAPUT TERTIUM.

- |   |  |
|---|--|
| I. An sola potestas in liberos sit à natura?          | impunitate dignus est minimè.  |
| II. Alimenta liberis debentur à Parentibus; & contra. | XIV. Preter exhereditationis causas in Nov. CXV. c. III. expressas adhuc alias agnoscimus. |
| III. Liberis obsequiiosis an debeatur præmium?        | XV. Legitima filiorum definita non induxit contemptum Parentum, sed amorem potius.         |
| IV. Inter patrem & filium locus est pæna.             | XVI. Adoptionum iura non antiquavit Justinianus.   |
| V. Qvæ pæna parricidii?                               | XVII. Defenditur Agellius.   |
| VI. Jus vitæ ac necis justissime ademptum Parentibus. | XIX. Adoptivi an regnorum capaces?   |
| VII. Consuetudo legem antiquare valet.                | XIX. Bello capti qvondam servi siebant jure gentium.                                       |
| VIII. Qvale jus patris in bonis adventitiis.          | XX. Debtores obætati an discesserunt olim à creditoribus?                                  |
| IX. De emancipatione nonnulla.                        | XXI. Servitus aliquæ secundum naturam rectè dicitur.                                       |
| X. Ut & de alimentis liberorum.                       | XXII. An servos agnoverint Germani?  |
| XI. In bodiernum usq; diem potestas patria viget.     | XXIII. Jure Hebræorum an obligari fuerint alienigenæ?                                      |
| XII. An liceat Patri vim inferenti resistere?         |  |
| XIII. Pater interactor liberorum                      |  |

I. Hacte-

I. **H**Aec tenus intentis oculis omnes Capitis III. partes in-  
tueri par fuit. Seqvitur Caput IV. & V. qvæ conju-  
gam hoc capite, ut de imperio Patris, & Domini simul constet.  
Offendit autem statim in limine Cap. IV. Bodinus, solam pote-  
statem in liberos naturæ acceptam ferendo. Hanc opinionem  
non ante enervabo, qvam supplemento astiterim Bodino, pa-  
triam potestatem ab origine evocanti : *Recta disciplina patris  
ac liberorum pendet à patria potestate, qvam vel NATURA, vel  
DEUS ipse, NATURÆ PARENTS Opt. Max. unicuique in liberos de-  
dit, vel ipsa LEX in eos, quos quisq; sibi adoptat.* Imo LEX in il-  
los præterea potestatem tribuit, qui vel per subseqvens matri-  
monium, vel rescripto Principis legitimi existunt. Oblatio  
qvippe curia thutata Rep. obsolevit, *D. Ludw. Comm. in Insti-  
tute nupt. §. fin. & Disp. II. ad I. lib. VII. lit. F. D. Hahn. Obs. ad D. de  
bis qui sui vel alieni jur. Schotan. in exam. Jurid. nec oblatio-*  
*nem monasterio factam in istius locum recte sufficiam dixeris,*  
*Hahn. alleg. loc.* Sed neq; novum qvendam legitimandi mo-  
dum cum Pacio comminiscimur, qvem ille è *Nov. CXVII. c. II.*  
hiulcè petit, profligatum ab Ungepauero exercit. *Justin. IX. qv.*  
*VI.* A supplemento defectus ad errorem Bodini me converto,  
qvem obtuse fovet, Seneca præmittens verba : *Princeps in sub-  
ditos potestatem habet, magistratus in privatos, pater in liberos,  
magister in discipulos, imperator in milites, dominus in servos.*  
*Ex iis tamen omnibus imperandijus ac potestas est à natura nemini*  
*tributa, præterquam patri, qvæ vera est Dei præpotentis ac maximi*  
*rerum omnium parentis imago, ac simulacrum.* Oppono Hah-  
nium : *Juris Naturalis propriè dicti est ordo parentium & im-  
perantium, quo sine nulla Resp. confidere potest, Obs. ad D. de J. & J.*  
*n. XIV.* Sed & inter animalia societas vigent, ac imperii  
qvædam imago conspicitur, *can. XLI. c. VII. q. I.* simulacrum  
*Juris naturalis impropiè dicti.* Instar omnium erit tractatus  
Joh. Loccenii de Rep. apum, dulcis ac jucundæ varietatis. Inde  
propatulum est, qvæ fronte Wesembec. parat. *ad D. de J. & J.* ne-  
gare potuerit jus publicum ex præceptis naturalibus petitum  
esse. Partes meas contra Wesembecum masculè fovent D.  
Hahn. *ibid. D. Ludw. Comm. in Inst. §. fin. de J. & J. D. Wurm-*

ser. exerc. I. f. P. th. III. Majus negotium potestas domini in ser-  
vos facessere mihi videtur, qvam à natura derivant Philosophi  
naturæ contrariam propugnant Jcti. Ego quid hac de re sen-  
tiam th. XXI. hujus Capitis patefaciam, ut neq; Jctis, neq; Philo-  
sophis injurius reperiar. Sanè Posidonius Stoicus multos olim  
fuisse notavit, qvi suæ imbecillitatis concii sponte se aliis in  
servitatem darent.

II. Ad paternum redeo imperium, qvod prima lex secun-  
dæ tabula Decalogi proposito præmio liberis commendat. Hi  
vero an alimenta in parentes erogare teneantur instinctu pie-  
tatis qvaritur? Bodinus: *Quemadmodum pater filios educare*,  
*& honestis artibus erudire tenetur, ita liberi Parentes alere ac su-*  
*stentare debent.* Mehercule inter causas mutationis Rerump.  
humanas primam pono pravam & neglectam educationem. Si  
enim homines vitiis à teneris assyeverint, facile in iis confirma-  
buntur adulstæ ætate. Malè vero educatos, & vitiis induratos au-  
daciâ, rerumq; desperatione armatos corrumpere Remp. expe-  
rientialm testem advoco. Cculpa autem perversæ educationis  
vel parentibus, vel præceptoribus, vel discipulis, vel eorum so-  
ciis impingi potest, *Loccen. Lib. I. de ordinand. Rep. cap. IV.* De pa-  
rentibus impræsentiarum nobis sermo est, qvorum cura prima  
erit, ut liberos doctiores potius & meliores, qvam diiores red-  
dant. Bene qvippe educatus & institutus, qvamvis egenus, ani-  
mi tamen bonis locuples fortunæ bona affatim acquiret. Loco  
hoc obiter monebo, insulsè encomium Juris nostri peti è No-  
vell. I, in fine: *Lex nominem neq; in paupertate vivere, neq; in*  
*anxietate mori permittit.* Agit enim textus de Lege Falcidia,  
ejusq; utilitatem commendat, *Rittersbus. part. II. Jur. Justin. c. I.*  
*n. XVI.* Porro alimenta quoq; à parentibus debentur liberis, *L.*  
*IX. §. V. C. de bonis, qva liberis in potest. patr. constit. ex matrim. vel*  
*alijs acquirunt. Grot. II. de J. P. & B. c. VII. n. IV.* exceptis ince-  
stis, qvibus nec Civile, nec Canonicum Jus favet. Utrumq; enim  
verbum educare insinuat, qvo Bodinus utitur. Vice versa Pa-  
rentes alere tenentur liberi, qvod non legibus tantum prodi-  
tum est, sed vulgari proverbio ἀνπελαγχεῖν. Par tamen obli-  
gatio utrinq; non est, neq; simile Bodini eam inducit. Simile  
enim

enim non est idem, ut Dialectici loquuntur. Grotius: Deben-  
tur quidem & Parentibus alimenta, sed non hoc aqvè est ordina-  
rium, atq; illud, quod de liberis diximus. Nam liberi, cum nascun-  
tur, nihil secum afferunt, unde vivant: adde, quod vivendum diu-  
tius habent, quam parentes. Atq; ideo sicut honor & obsequium  
parentibus debetur, non liberis, ita educatio liberis magis, quam pa-  
rentibus, II. de J. P. & B. c. VII. n. V. Unicè qvāram: An ince-  
stuosum patrem alere teneantur liberi? Affirmo cùm Hahnio  
obs. ad D. de agnosc. & alend. liber. circa fin.

III. Id dextrè Bodinus astruit, qvod pro tuenda parentum  
salute suam periculis omnibus opponere debeant liberi. Nec  
modò personas necessarias, sed & extraneas prorsus periculo li-  
berate convenit, Natura enim cognationem qvandam inter  
nos constituit, L. III D. de J. & J. D. Carpzov. part I. pract. crimin.  
q. XXXII. Grotius: Honestius est, alienas injurias, quam suas vin-  
dicare, quanto in suis magis metuendum est, ne quis doloris sui se-  
su aut modum excedat, aut certè animum inficiat, II. de J. P. & B.  
c. XX. n. XL. Præmium autem an debeatur liberis obsequiosis du-  
bium Bodinus reddit, qvod officio nullam mercedem deberi  
velit. Sed absurdum non est, ut quis præmio ad officium pro-  
vocetur. Mandatum, nisi gratuitum, nullum est, cum originem  
ex officio atq; amicitia trahat. Contrarium ergo est officio mer-  
ces, L. I. §. IV. D. mandat. Ergone honorariorum omne interveni-  
re detrectas? Vix poteris propter L. VI. pr. D. dict. tit. Add. D. Lud-  
well. ad §. fin. Inst. de mandat. Et ne mirum hoc alicui videatur  
atq; insolens, sciat, posse ipsum patrem filii beneficia donis re-  
munerare, Hahn. obs. ad D. de donat. n. IV. Gail. II. obs. XXXIX.  
Sicuti verò gloriā consequuntur liberi parentum cultores:  
ita nulla execratio major in sacris libris, quam adversus eum, qui  
ad male recta patria pudenda sceleratè arrissset, verba sunt Bo-  
dini. S. Ambrosius lib. I. de offic. cap. XIIIX. circa finem: Si casu ape-  
riantur partes abscondenda, confunditur verecundia: si studio, im-  
pudentia estimatur. Unde & filius Noë Cham offensam retulit,  
quia nudatum videns parrem risit. Qui autem operuerunt patrem,  
accepterunt benedictionis gratiam. Ex quo mos vetus in Urbe Roma,  
& in plerisq; civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel ge-  
neri

neri cum sacerdos non lavarent, ne paterna reverentia autoritas minueretur, licet plerique in lavacro quantum possunt, tegant, ne velillio, ubi nudum totum est corpus, hujusmodi intentio ast portio.

IV. Igitur si tanta est liberorum erga Parentes officiorum obligatio, ( ex ore Bodini loqvor ) quibus suppliciis dignos existimare debemus, qui adversus eos contumaces sunt ac injuriosi? Quae panarum acerbitas sufficiat, qui iisdem manus intulerint? Dissentiet quisquam fiduciā hujus argumenti nixus; Inter quoscumque nulla est justitia, inter eos poenae silent. At qui inter patrem & filium nulla est justitia. Ergo inter patrem & filium poenae silent. Ratio majoris est, quod poena impositio ex justitia fluat. Minorem Aristoteli acceptam fero, V. Ethic. VI. inculcatam. Sed & Hahnus obs. ad D. de J. & J. n. X. non ex justitia, sed pietate derivat, quod parentibus obedire teneantur liberi. Respondeo, Patrem & Filium formaliter ac materialiter ( ut loquuntur ) considerari posse. Priori casu debitum pietatis fundant: posteriori justitiae, Hahn. obs. ad D. de obseq. parentib. & patron. praestand.

V. Postquam adeo poenae inter patrem & filium locum dedi, in poenam parricidii inquirere juvat. Bodinus: *Lege Pompeja supplicium magis novum ac inusitatum, quam tanto scelere dignum decernitur.* Poenam culei respicere videtur, quam tribuere velle legi Pompejae, est infringere autoritatem L. I. D. ad L. Pomp. de parricid. Confirmavit fortean, aut certe non antiquavit poenam illam lex Pompeja, *Wesemb. parat. ad D. dict. tit. n. III.* Scilicet paenae propositis conseleratos oportet ab immanibus flagitiis deterrere, monente Bodino. Ergone ante legem poenalem constitutam poena locus esse nequit? Grotius: *Ante legem poenalem constitutam dubium non est, quin poena locus esse possit, quia naturaliter qui deliquit in eo statu est, ut puniri licet posse,* II. de J. P. & B. c. XX. n. XXII. Apparet inde, non esse poenam immediate ex lege, sed delicto, quod lex vetat, ut probare nequeam singulas leges virtutes in L. VII. D. de LL. enumeratas. Ceteroquin & Jure Civili & Naturae licet de crimine, quod poena sanguinis manet, transigitur, D. Hahn. obs. ad D. de transact. n. V. Forte nec Jus Divinum obfirmate resistit, D. Ungep. exerc. Justin. XIV. q. VI. Porro neque

neq; impune ferunt liberi, qui parentes verberant. *Lege* qvippe  
*Serviā propositum iis erat capitale supplicium.* Justinianus exha-  
redationis poenam dicit filio manus inferenti parentibus,  
*Nov. CXV.c.III. §. I. Add. Schneidewin. Comm. in Inst. de patr. pot-  
est. n. XXVII.* Hodie præterea jus est patri ejiciendi sentinam  
Reip. liberosq; inmorigeros ob vernilitatem ergastulis inclu-  
dendi, qvæ *Zuchthäuser* vulgo appellant, *D. Reinking. de R. S. &*  
*E.lib.II. cl.I.c.VII.n.V. D.Hahn. obs. ad D. de obscq. parent. & pa-*  
*tron. prestand.*

VI. Apparet hinc, decentem emendationem residuam esse  
parentibus, sublato penitus jure vitæ ac necis, qvod tantopere  
reducere amat Legirupa Bodinus, ut jus istud ( si tamen jus  
appellari meretur) repetens in justissimus videatur. *Tanta*  
*est (inqvit) erga liberos pietas parentum, tantus amor, ut nur-*  
*quam judicibus de filiorum capite statuere, si posint, permittant,*  
*etiam si ab illis letalia vulnera accipiant.* Quid ergo est? An im-  
punitatem times, Bodine, ex inconsulto illo amore? Timor  
hic indignus est tanto viro, cui, sicuti peritiam juris qualem  
qualem profitetur, constare debet, judicia publica duobus con-  
stitui modis, ex officio nempe, seu per inquisitionem, & ad in-  
stantiam partis, sive per accusationem *D.Hahn. Obs. ad D. de ac-*  
*cusat n.II. Schotan. in exam. Jurid. cod. tir.* Si ergo nemo fue-  
rit, qui accuset, superest Magistratus officium, qvod restitu-  
tionem illam juris vitæ ac necis austè redarguet, ne ex parenti-  
bus latrones fiant. Cætera, qvæ Bodinus de jure isto prolixè  
tractat, tantinon astimo, ut vel leviter attingam. Alias non  
invitus astipulor Bodino, jus vitæ ac necis in liberos pluribus  
populis fuisse usitatum. Male vero Justinianum erroris insi-  
mulat, quasi in *§. II. I. de patr. potest.* solis Romanis potestatem  
patriam tribuat, aliusq; populis eripiatur. Etenim jus potestatis  
patriæ proprium est civium Romanorum relativè, non absolu-  
tè, autore Hahnio *Obs. ad D. de his qvis sui vel alien. jur.* Intu-  
itu istius potestatis res & causa liberorum qvondam eo loci fuit,  
ut qvicq; ad illos perveniret, parentibus suis acquirerent.  
At sensim ab ista inhumanitate recessum est, *§. I. Inst. per quas*  
*person. cuig; acquirit. ibid. Ludw.* Huc qvoq; pertinet, qvod

D. Schneidewin. Comm. in Inst. de patr.

patri filios distrahere licuerit, urgente fame, L.II.C.de patrib.  
qvi filios suos distinx. Grotius Lib.II. de J.P. & B.c.V.n.V. mo-  
tem hunc vendendi liberos ex veteri Thebanorum lege in po-  
populos alios fluxisse existimat. Patris meminit Bodinus, non  
matri, cui eandem licentiam impertit Hahnus Obj.ad D. de his  
qvi sui vel alien.jur. an integre, ipse viderit. Mater enim non  
habet liberos in potestate, §.X.Inst. de adopt. At haec vendi-  
tio effectus suis patriæ potestatis, Theodoric. disp.IX. colleg. cri-  
min. th.lIX. lit.B. qvæst.III. Sanè nec ad avum venditionem  
istam extendere amat Schneidewinus Comm. in I.de patr. potest.  
n.XXIX. licet nepos sit in illius potestate. Agitanti id mihi  
per opportunè memoria subit verborum Ambrosii in libro de Top-  
bia: Vendit plerumq; pater liberos autoritate generationis, sed non  
voce pietatis. Ad auctionem pudibundo vultu miseris trahit, di-  
cens, solvite filii gula mea sumptum. Locum hunc Ambrōsi Sci-  
pio Gentilis Lib.I. nraegy. c.XL. descripsit, qvi abusum vendi-  
tionis librorum notare videtur, quam prolsus damnat Felden.  
innot ad Grot. de J.P. & B.Lib II. c.V. n.VI. Confer Grasvini-  
kel. Inter leges Regias à S. Papirio collectas haec occurrit: PA-  
RENTUM LIBEROS OMNE JUS ESTO RELEGANDI,  
VENDENDI, ET OCCIDENDI.

VII. Ceterum ab instituto alienum est, his & aliis patrī  
momenti rebus immorari, ne dicam immori. Bodinus, dum  
vim illam pervulgatam patrum latè examinat, vigoremq; pri-  
stinum ex integro anhelat restaurare, deviat aliquoties. Imprī-  
mis confutatione dignus est in haec prorumpens trivialia verba:  
*Idjure ipso constat, in veterata consuetudine legem antiquari non  
posse, nisi contraria legē ac singulari derogationē sublata fuerit.* Suffragari sibi putat L.II.C. qvæ sit longa consuet. Imo vero pu-  
tat! Erroris enim convincit illum verbum VINCERE. Scili-  
cer conivētudo legem minimè vincit, tollit tamē sive antiquat  
D. Frantz. Comm. in D. de LL. n.CXXX. Dn.Habn. obs. ad D.eod.  
tit. Neq; modò in statu Populari consuetudo contraria legi ean-  
dem antiquat, sed & in statu Monarchico, connivente Princi-  
pe, D. Frantz. ibid. n C. CL. CII. CXVII. Ego vero Bodinum,  
& eos omnes, qvi leviter Jurisprudentiam cognoverunt, qvāvis  
Iponhione provoco, ni hoc ita sit, uti dico.

IIX. Porro ut extenuet Bodinus jus hodiernum Pa-  
trum, usum fructum solum remansisse Patribus è bonis adven-  
titiis dolet: *Cum filii paternum illud jugum paulatim excusissent*  
*Constantini dominatu, illud etiam ab eo extorserunt, ut heredita-*  
*tis materna pater usumfructum, ipsi proprietatem haberent, qvam*  
*alienare patri non liceret, L.I. C. de bonis matern.* Deinde à Theo-  
dosio juniore efflagitarunt, ut bonorum omnium, undecunq; obre-  
niissent, proprietas ad filios pertineret, patri tantum ususfructu re-  
licto, *L.VI. C. de bonis* qvæ liberis in potest. patr. constir. ex matrim.  
vel alias acquirunt. At ne moribus quidem nostris talium bono-  
rum ususfructus, sed ne usus quidem relictus est. Duo sunt, qvæ  
in his Bodini verbis perstringi merentur. Primo non magis ex-  
torserunt filii constitutiones recitatas, qvām vi extorta Pax Re-  
ligiosa Carolo V, dextrè perhibetur, *Fibig. semidec ad IX. elec.*  
*J. P. q. II.* Humanitati Imperatorum id potius tribuendum erit,  
qvi & liberis parcere, & parentibus honorem debitum reservare  
satagebant, *§. I. Inst. per quas person. cuiq; acq.* Reperiuntur tamen  
casus, qvibus pater adventitiorum usumfructum non cer-  
nit, *Perez. in Cod. de bonis qvæ liberis.* *&c. n. III. & seqq.* Deinde  
qvod effatur Bodinus, *moribus nostris usumfructum peculi* ad-  
ventitii parentibus relictum esse minimè, sed ne usum quidem, te-  
meritatem sapit ingentem. Interim ne jus illud, in quo studiorum  
amore hoc usq; versor, penitus ignorare videar, adducam  
Divi Augasti verba part. III. const. XXV: *libipater tanquam ad-*  
*ministrator & usufructarius bonorum, qvæ ad liberos suos à ma-*  
*stre pervenerunt, è paribus metallicis ipsorum fructus percepit, ho-*  
*rum proprietas ad ipsum non pertinet, sed ususfructus tantum.*  
*Add. Dan. Möller.* Verum anne & ususfructus feudi filiorum  
concessi patri acquiritur? Neg. Treutl. *Vol. I. disp. XVI. tb. II.*  
*D. Ludvvel. disp. V. ad Inst. tb. IX. lit. C. &c.* Reponit tamen  
nonnihil Bachovius ad Treutl. *d. loc.* A patre ad matrem trans-  
eo, de qva in dicendi controversiam ac disceptationem voca-  
tur: *Num competit illi in communione hereditatis perman-*  
*tent ususfructus in bonis liberorum suorum, qvorum tutelam*  
*suscepit?* Nego cum D. Carpzoy. *in Jurispr forens. ad Constat.*  
*Elec. X. p. II. defin. XIII. Lib. VI. responsor. jur. tit. VII. resp. LXX.*  
*Aliud placet Welembecio paruit. ad D. de tutel. num. V.*

IX. A potestate patria ad emancipationem, quā solvitur, parumper digreditur Bodinus: *Quin etiam Justinianus noluit a patre filios sine ipsorum consensu emancipari posse, i.e. sine donatione, quam pater filio largiri deberet.* Hæc explicatio quemadmodum congruat legibus, latere neminem posse arbitror. Illud in aperto est, tribui parenti pro præmio emancipationis dimidiam partem ususfructus adventitiorum, L.VI. §. pen. C. de bonis quæ liberis &c. Qvod si verò filio jam emancipato ea bona obveniant, pater ex iis virilem ususfructus portionem accipit, non tanquam acquisitam, sed tanquam munus lege oblatum reverentiae patris manumissoris, L.III. C. de bon. matern. Perez. in Cod. eod. tit. n. III. Scilicet emancipatio est beneficium bonorum quærendorum, L.I. pr. D. si à parent. quis manum. sit, ut turpem emancipationis mercaturam inter patres & liberos cum Bodino hand æstimem.

X. Idem confusè omnia peragens alimenta, quæ antea concesserat liberis, rursus protervè adimit: *Ult planum sit liberis à parentibus alimenta non deberi, nullis unquam legibus permisum est liberis actione parentes ad alimenta consequenda provocare, sed supplici rogatione, impetrata venia Magistratus.* Vix elabibi posset Bodinus, nisi suppetias ferret Grotius lib. II. de J. P. & B. c. VII. n. IV. in voce debitii distingvens: *Debitum strictè interdum sumitur pro ea obligatione, quam inducit jus expletorium; interdum laxius, ut significet id, quod nisi dishonestè omitti non potest, etiam si honestas illa non ex justitia expletrice, sed ex alio fonte proficiatur.* *Est autem id, de quo agimus (nisi lex aliqua humana accedit) debitum illo sensu laxiore.* Nihilominus actionem dari liberis jam agnitis, ut convenienter alantur, adversus Bodinum seriò decerno. Svatet id totus Digestorum titulus de agnoscendis & alendis liberis. Neutiquam tamen diffiteor, speciali quondam veniæ impetracione opus fuisse liberis acturis contra Parentes: *hodie quo minus id fiat, ratio subest, Treutl. vol. I. Disp. IV. tb. VI. lit. C.* *Eo ipso enim (verbis utor Excellentissimi Domini D. Svevi disput. IV. Treutl. sub explic. adj. V.) dum ad supplicationem partis citationem decernit Judex, jam venia impetrata censetur.* Cum debita tamen honoris præfatio.

tione actio contra ejusmodi personas, qvibus reverentia debetur, insituenda, & ab omni verborum asperitate abstinentia est. Postremum sit, an mater per triennium alere teneatur infantem? Nego cum Hahnio meo Obs. ad D. de agnoscend. & alend. liber. Sed & delectabit Josias Nold. de stat. nobil. civ. corumq; privil. cap X. concl. XCIII.

XI. Ab alimentis ad eos, qvi sacris vinculis exuti reperiuntur, transgreditur Bodinus, meram potestatis patriæ umbram deplorans. Præter eum Hubertus Giphan. in princ. tit. qvib. mod. jus potest. solvit. autumat, moribus nostris nullam super esse patriam potestatem, à quo recedit Matth. Coler. in de. cis. Germ. CCXXII. Sed & Harpr. disp. de patr. potest. omnem potestatem patriam civilem exterminat, solam naturalem studio inani jactans. Adeo à mitigatione potestatis patriæ ad interitum istius propendit Giphanius, Harprechtus, Bodinus, nescio qvā deliratione. Imo hic incitatè nil aliud restare statuit, qvam patris autoritatem ad obeundos legitimos actus, & prædiorum genilium, qvæ pater ipse vendiderit, redemptionem. Diversum Schneidevvinus docet Comm. in Inst. de patr. potest. n. XXVII. XXIX. XXIX. & seqq. ubi varios potestatis illius effectus enumerat.

XII. Tanta autem non est, ut filius patri vim inferenti resistere, aut illatam injuriam propulsare nequeat. (Disserit Boec. de duello c. VI. n. XVI. & seqq. Balduin. Lib. IV. de cas. conse. c. I. cas. XIV. in princ.) Sed & parentes Reip. hostes impune occiduntur, L. XXXV. D. de religios. & sumpt. funer. profligata utcundq; impietatis maculâ, qvam aspergere conatur Bodinus. Pietas (inquit Cicero in somn. Scipion.) in parentibus & propinquis magna, in patria maxima est. Add. Gail. II. de P. P. c. X. n. XXIII. XXIV. Imo & adversus Principem (cujus potestas sub se habet & patriam, & dominicam potestatem, Grot. I. de J. P. & B. c. I. n. VI.) manus violentas alicui intentantem defensionem esse licitam perhibent, D. Frantz. lib. II. resolut. XXIII. n. III. Bachovius: Evidem boni publici causâ Principi, cum quo publica salus conjuncta est, à subdito, qvam ut fieri potest, parcendum est, & extrema potius qvæq; tentanda, qvam ut ille occidatur. Sed ubi nulla

prospera alia ratio est expedientia salutis, naturalis ratio defensionis respectum illum subjectionis excludit, & contra Principem latronis personam induentem justam ac necessariam defensionem permittit, ad Treutl. vol. II. Disp. XXXII. th. VI. lit. F. Piè dissentit Grotius II. de J.P. & B. cap. I.n.IX. Idem Lib. I. cap IV. n.VI. haud obnoxie putat, jus nullum esse magistratibus inferioribus resistendi injuriis illius, cuius summum est imperium. Nam sicut in Dialecticis species intermedia, si genus respietas, est species, si speciem infra positam genus: ita Magistratus illi, inferiorum quidem ratione habitā, sunt publica persona, at superiores si considerentur, privati sunt. Repugnat hisce Dn. Reinkingius de R.S & E. lib. I. cl. I. cap. V. n. XXXV. XXXVI. Grotii partes inter ceteros consulto tueretur Excellentiss. Dominus D. Ziegler. exercit. circa Regicid. Anglor. VII. Igitur peccant subditi, qui unicum mali Principis fandire remedium ferrum esse putant, contemptis PRECIBUS, SUPPLICATIONIBUS, & FUGA, D. Carpzov. de L. Reg. Germ. cap. XIV. s. II. n. III.

XIII. Verum ne Bodini mei immemor reperiatur, illud potius impietatem redolet, qyod Parentes liberorum interfectores poenā liberare videatur: Antiqui Legumlatores apud Egyptios in eum, qui sine justa causa filium necavisset, non aliam panam decreverunt, quam ut cum filij cadavere iriduum concluderetur. Sapienter illi, cum propter filii cædem parentibus vitam, quibus filius suam deberet, eripi nefas esse judicarent. Possem qvidem hīc acutissimē originem anima indagare, attamen cum illud in *Exposito* Augustini in hac materia præferam, quæ tot dñe, hinc inde involvit, jam olim à Rodolpho Goclenio collectas, potius desudabo, qvomodo egredi possit anima à contagione corporis libera, de ingressu parum sollicitus. Et quid si anima hominis ex traduce foret, ut saniores natalitiorum anima indagatores sentiunt, anne propterea impunitatem mereretur pater latro? Poena maleferiatum istum manebit culei, L. un. C. de his qviparent, vel liber. occider. Tristem casum eximir Wesemb. parat, ad D. ad L. Pomp. de parricid. n. VI. qvo pater filium extrema meritum domestico potius exemplo mactavit, quam ut manibus carnificis poenas lueret, cui ideo poenam relegationis impositam olim meminit.

XIV. Sed nec quod ad exheredationes filiorum attinet  
(Bodini verba recito, à privatione vitæ ad privationem bono-  
rum, secundi hominis sanguinis, transiuntis) pater alios ditare,  
alios sine causa exheredes facere audet, propositis exheredatio-  
num legit:marum causis Nov. CXV. c. III. Ergone plures haud  
dantur, quam quæ inibi exprimuntur, ingratitudinis causæ?  
Ita sentire videretur Bodinus, quem comitantur Math. Ste-  
phani ad dict. Nov. Treutl. vol. I Disq. XIII. tb. II. ne cæteros me-  
morem, quorum judicia reverenter prætervehitur Fachin. Lib.  
VI. controv. jur. cap. LXXIIX. Medium viam Dominus Frantzkius  
Comm. in D. de inoff. testam. n. LXXVII. LXXIIX. eligere amavit,  
in qua insistat sine casu aliquo aut prolapsione, hoc imprimis  
tempore, quo mores eunt præcipites. Adjiciam, quod bonorum  
possessio, cuius Bodinus mentionem facit, hodie sit sublata  
neutram, D. Ungep. exerc. Justin. IX. quaest. X.

XV. An autem definita filiorum legitimâ paulatim à libe-  
ris contemni cœperint Parentes indagari meretur? Ita videtur  
Bodino. Ego verò amorem potius, quam contemptum inde eli-  
cere vellem. Et enim ratio naturalis, quasi lex quædam tacita,  
liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam succe-  
sionem eos vocando, L.VII. pr. D. de bon. damnat. Hinc juris na-  
turalis esse perhibeo non quidem ex præscripto, sed ob conve-  
nientiam, ut liberi parentum cernant hæreditatem. Accedit  
votum parentum, quos ad bona liberorum ratio miserationis  
demum admittit, L.VII. D. unde liberi. Hæc omnia utut sint juri  
naturæ consentanea, non tamen necessaria dixerim eodem ju-  
re, cum indifferenter se habere possint, prout lege, pactis, mori-  
bus, vel ab ipso testatore definiuntur. Quamobrem inter libe-  
rios sepe inæqualis instituitur divisio, Gail II. obs. CXII. n. XXIII.  
XXIV. quæ ne durior nimis esset, & ab arbitrio testatoris vago  
penderet, certam placuit determinare portionem, liberis tri-  
buendam, quam legitimam appellant leges. Inde constat, ama-  
ri potius parentes à liberis, pari jure fretis, nec mutuâ charitate  
spoliatis, quam contemni. Nec magis in annos paternos inqui-  
rent hodie liberi post certitudinem legitimæ, quam olim inqui-  
siverunt, incerti, quid sperarent ex bonis parentum. Ino dili-

gen-

gentins fortè tunc inquirendum fuit liberis, qviamorem amore compensare, non superare contendebant. Duos annectam casus, qvibus vivo patre legitimam non iustè pertunt liberi. Primus est, si pater monasterium ingressus, religionemq; professus fuerit, *Fachin.lib.VI.controv.jur.c.XIII.* Alterum in Anabaptista patre observavit D. Carpzovius *p.III.Jurisp.forens,const.XII.defin.X.* qvem communionis accepimus studiosum ex ore Bodini *I.de Rep.c.II.n.XII.*

XVI. Hic verò an rectè adoptionum jura Justiniani novis legibus prope antiquata scribat, ipse viderit. Illud imprimis Justinianus mutatum ivit, ne adoptio in specie æque ac arrogatio indistinctè jura potestatis patriæ atq; familie largiretur, *D.Ludwell.ad §. II. I. de adopt.* Hodie tamen magis frequentatur unio prolium, *die Ein.Rindschafft/Gail.II.obs.CXXV.D Carpzov.lib.V.responds.Jur.tit.I.responds.VI.Hahn.obs.ad D. de adopt. n VI.Treutl.vol.I.Diss.II.tb.penult.qvæ an operetur, ut feudi participes fiant liberi uniti Harprechtus inquirevit?* Negat diss. de adopt. tb.XXIV. Adde D. Frantz. lib.II.resol.XXIX. testandi facultatem parentibus aservantem, non obstante pacto unionis.

XVII. Verum ne ideo deseruisse videar adoptionis materiam, foeminam non potuisse qvondam adoptare cum Bodino affirmo. Agellium autem fallere penitus non puto, dum in Comitiis (Curiata intelligit) peragi solitam fuisse adoptionem enunciat. Scilicet jure à majoribus proditio nemo civis Rom. aut civitate privari, aut in potestatem alterius transire poterat, nisi populus autor fieret, *Cicer. pro domo.* Apparet hinc effati Bodiniani veritas: *Adoptio sine Comitiis siebat.* De lege Curiata arrogationum Rolinus egit lib.VI. antiquit. Rom. c.VII. Insuper nec asserere velim cum Bodino, adoptivos liberos eodem jure quo naturales ac legitimos habitos fuisse à Romanis. Innumeris enim textus adversantur, qvos compilare impræsentiarum supersedeo.

XIX. Illud non abs re erit perscrutari, an adoptivi sint regnorum capaces? Exemplis historiæ Romanæ id evincit Bodinus. Unicus Galba securus pacatum imperium tenuisset, nisi Pisonem sibi adoptando successorem designasset, *Henric. Zoln.*

Zöln. de Regis Rom. ele<sup>t</sup>. tb. V. lit. c. Alioquin in regnis à populo delatis adoptivi non succedunt, quia nobilitas generis verè regii magis reverendos efficit, major<sup>d</sup> de iis spes concipitur, Grot. II. de J. P. & B. cap. VII. num. XVI. Sed nec in Feudis adoptionum rationem haberi novimus, II. F. XXVI. quod feudum dari censatur vasallo contemplatione sui ipsius, eorumq; qvi sanguine conjuncti. Adoptio autem non jus sanguinis, sed jus agnationis affert, L. XXIII. D. de adoption. Wurmser. exerc. II. J. P. tb. XI. E diverso qvi per matrimonium subseqvens legitimi fiunt, redduntur voti compotes & in regnis, & in feudis, prout de capite illorum comitia agit Wurmser ibid. tb. X.

XIX. Reliqua, qvæ Bodinus de adoptione agglutinat, limam meam vix desiderant, nisi quod adoptanti extraneo iura patriæ potestatis iniqvè adempta velit, ipse iniqvissimus naturali patri. Seqvit imperium herile, quod capite V. Bodinus trutinat. Contraham autem vela, quantum fieri potest, ne in obsoletis istis magnopere laborare videar, omnis tamen utilitatis expertibus minimè, D. Hahn. obs. ad D. de stat. homin. num. V. Sanè bello captos servos quondam extitisse jure gentium nemo diffitebitur. Sed jus illud gentium de captiis (utor verbis Grotii mei III. de J. P. & B. c. VII. n. IIX.) nec semper receptum fuit, nec apud gentes omnes, qvāquam Romani J. Cti universaliter loquuntur, partem notiorem indigitantes totius nomine. Exemplis Hebreorum, & Græcorum assistit Bodinus. Inter Christianos hodie captivi indulgenter habentur, postqvam nec vendi eos, nec ad operas urgeri, nec alia servilis conditionis pati comperimus.

XX. Durior fuit debitorum conditio, qvām captivorum, si Bodino assentis, qvos obēratos legibus XII. Tabb. licebat in membra creditoribus dividere, pro debiti cuiusq; modo. Eandem immanitatem (ne Bodino diffidas) memoria prodidit Cl. Salmasius de modo usurpar. c. XXXIX: Non laudabilia natura & jure aliquando fuerunt concessa. Ita Roma corporis obēratorum sc̄tio usurpata erat, quod à vetustate mutuabimur, cum L. XII. Tabularum debitoris corpus inter creditores, si plures essent, divideretur, qvā legem postea mos publicus repudiavit, crudelitate illâ

ensā. Quidenim si talis esset debitor, quem nec alere tanti esse  
judicaret creditor, ut nullius nempe usus & opere, negari etiam ven-  
dere posset ob inertiam & etatem? In promptu erat creditorī pro  
majori suo compendio cum necare s. Qvod sapius & à pluribus  
facilitatum aliquis meritò suspicetur. Nil enim frequentius in hi-  
storia Romana legimus, quam nexorum oberatorum querelas, qui-  
ritantum de crudelitate creditorū, quibus addicti serviebant in  
nervo & compedibus vincit, extrema quæsitione tolerante s. contumelias,  
verbena, aliq[ue] supplicia. Hinc illa orationis Tribunicie apud Li-  
vium Lib. VI. gregariorū quotidie de foro addictos duci, & repleti  
vincit, nobiles domos, & ubi cunq[ue] p[ro]speritatis habet, ibi carcerem  
privatum esse. Licet quidem nec volanter vestigium extet in tota  
illius temporis historia debitoris à creditoribus disseceti, (quod Ho-  
mero dicitur ueluti Alq[ue] rauiciv) sed nec venditi, tamen lege licuit.  
Id humanitatē creditorū potius imputandum, quam p[ro]p[ri]etate immu-  
nitati, quæ q[ui]ndam deterruerit. Nostris debitoribus & vivis,  
& mortuis iura velificantur enixè. Imo & Legem Poëtiliam  
(quam C. Poëtilius, & L. Papirius Mugillanus COSS. tulerunt)  
de debitoribus favisse Bodinus palam denuntiat, qui præterea pi-  
leū meminit, argumenti q[ui]ondam libertatis. Servi q[ui]p[er] eman-  
cipati pileo abrasi capita tegebant, quousq[ue] capilli crescent. Sunt  
qui putant, nobilitatis privilegia conferri hodie, si cui Princeps  
in corona Procerum verba facienti pileum imponat, *Jos. Nold.*  
*de stat. nobil. civ. eorumq[ue] privil. cap. V. concl. XLIX.*

XXI. Sed in memoriam regredior, de imperio herili ser-  
monem esse, circa quod h[ab]it[us] proletarium dubium ocurrat:  
an servitus naturalis sit? Bodinus: Aristoteli quidem servitus  
naturæ congruere visa est, cum alios ad imperium, alios ad obse-  
gvium esse natos perhibet; at J. Cti, qui civilē scientiam non Phi-  
losophorum decretis, sed populari captu ac sensu metiuntur, servitu-  
tem naturæ penitus alienam esse tradunt, ac modis omnibus pro  
libertate propugnandum putant. Decisione D. Hahnii uti libet:  
Eiusmodi servitus, quæ homo habet naturæ & rudiis dicitur pare-  
re & servire prudentiori, (de qua loquitur Aristoteles) genere planè  
diversa est ab illa, quæ ex bello oritur, quam ex jure gentium esse  
meo ipse Philosophus negat, obs. ad D. de J. & J. num. XVI. Add.  
Myns.

Mynsing. schol. ad Inst. de J. N. G. & C. §. II. Grot. III. de J. P. & B.  
c. VII. n. I. Cellar. lib. I. Polit. cap. III. th. XX. Quantumvis autem  
aliqui naturā servi sint, iniquum tamen armis subigere illos vel-  
le, quasi dignos, qui serviant. Non enim si quid alicui est uile,  
id statim miki licet e per vim imponere, postquam his, qui nationis  
habent usum, liberi esse debet utilium & inutilium electio, nisi al-  
terius quoddam in illos quæsum sit, Grot. II. de J. P. & B. c. XXII.  
num. XII. Et hoc notatu dignum est, quod nec Juri Divino re-  
pugnet servitus, Dn. Hahn. Obs. ad D. de manum. circa fin. licet id  
Bachovius velit ad Trent. vol. I. Disp. II. th. II. Postremum sit,  
quod Bodinus interserit, JCtos civilem scientiam Philosopho-  
rum decretis haud metiri. Non dissentio cum Bodino. Ca-  
eterum ubiq; à JCtos Philosophorum placita contemni svasor &  
autor non fuerim, sive de jure privato, sive publico loquamur.  
Iea Fibigius semiæc. III. quest. IV. investigat: *An in decidendis*  
*Juris Publici controversiis Philosophorum regulis adstricti sint Jcti?*  
*Tutissimam viam judicat, si neq; omnem regularum Philosophica-  
rum & terminorum subtilitatem rejiciamus, neq; etiam nimiam af-  
fectemus, sed materie tractanda naturam probè attendamus.*  
Nil ergo moror cum Petr. Vermil. Martyr. Comen. sup. L. I. Erbic.  
Aristot. nugivendilos istos, qui contemptu Philosophiae tur-  
gent illo Pauli ad Colos. II. vers. IX. fascinati: *βλέπετε μή τις  
ὑπάς ἔται εἰ συλεχωρῶν οὐδὲ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενὸς αἴσθητες.*

XXII. Præterea queri solet, an Germani servos agno-  
verint? Bodinus: *Germani nunquam nisi iati servos & quæ ac li-  
beros hostilem in modum puniebant.* At servi isti ejusdem con-  
ditionis cum servis Romanorum non fuerunt, *Hahn. obs. ad D.  
de manum.* Hinc Gaius de pignorat. obs. II. n. II: *Germania ser-  
vos veros nunquam habuit.* Lazzii quidem (vulgo lassen à verbo  
Germ. lassen, quod in provinciis ad colendos agros relinque-  
rentur) in multis Germaniæ locis adhuc reperiuntur, illi tamen  
servi non sunt, alias leibigenæ esse / sed minus recte ita dicti.  
Etenim naturā sunt liberi, quoad culturam agrorum servi,  
*Hahn. diæt. loc.* Sed nec Prætorianos Turcarum milites, & eos, qui  
tributi nomine Christianis imperantur, pro servis habet Bodin-  
nus, cum in familiam Principis conscribantur, ac soli Magi-

fratibus, honoribus, sacerdotiis, imperiis, nobilitate fruantur,  
quam nobilitas ad nepotes usque; pertinet.

XXIII. Colophonem addent capiti huic ultima fere Bo-  
dini verba: *Quod si verum est, ratione semper ac legi divina lo-  
cum esse oportere, nec ipsam Palestina finibus concludi, cur non  
ubique terrarum lex illa de servitiis ac libertate tam utiliter, quam sa-  
pienter a Deo lata vim habitu*ra* sit potius, quam quam humanis inge-  
niis excogitata fuere?* Non conabitur subscribere Grotius Bo-  
dino, alienigenis legis Hebraicæ jugum imperanti. Nec enim  
ex illius mente, quam *I.de J.P. & B.c.I.n.XVI.* explicat, lex obli-  
gat eos, quibus non est data: *Humano generi ter jus datum a Deo  
novimus, statim post hominem conditum, iterum in reparatione ge-  
neris humani post diluvium, postremo in sublimiori reparatione per  
Christum.* Ex omnibus autem populis unus extitit, cui peculiari-  
ter Deus iura dare dignatus est, populus scilicet Hebreus. Unde  
*nulla parte legis Hebreos, quia lex est proprie, nos obligari putat,*  
*quia obligatio extra ius naturae venit ex voluntate legem ferentis.*  
Deum autem voluisse, ut alii, quam Israelita, ista lege tenerentur,  
nullo indicio potest deprehendi. Hinc directam obligationem non  
paritur Grotius, obliquam non refudit. Enimvero non ausim se-  
qui Grotium, utut Deus Israelem affectur, assensum cohibente  
Excellentissimo apud Argentoratenses Theologo D. Johanne  
Schmidio *disp. de lege moral*i* in genere th. XXII.* Distingvendum  
tamen inter ea, quam absolute sunt communia, & quam his ad-  
dicta sunt nonnulla singularia in lege moral*i*. De ceremoniali  
quippe, ut & forensi impræsentiarum haud loquor. Porro  
quod ait Grotius, legem non posse obligare eos, quibus non est  
data sive promulgata, humanae legi tantum competit, non illi,  
quam connata est. Nec enim istam addiscimus, accipimus, legi-  
mus, sed ex natura ipsa arripimus, haurimus, exprimimus, ut  
verbis uti liceat D. Balthasaris Meisneri *part. III. Philos. Sobrietate  
sec*t. II. cap. IV. quest. II.**

#### CAPUT QUARTUM.

- |  |  |
|--|--|
| I. <i>Vi parta imperia vi subinde<br/>dissolvi nequeunt.</i> | III. <i>Civis interdum eti<small>a</small> agnosc<i>i</i><br/>meretur, qui matre civi nat<i>u</i>.</i> |
| II. <i>Libertas est juris naturalis<br/>negativi.</i>        | IV. <i>Cives non modo nascuntur,<br/>sed &amp; fiunt.</i>  |

V. Ori-